



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 14. Christus nascitur in nobis spiritualiter.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

Magna cathedra præsepium illud, ex quo cunctis mortalibus Dei loquitur sapientia, ecclesitis in stabulo Magister legit. S. Thom. Vill. l. 1. in. Nat. D.

§. XIV.

Christus nascitur in nobis spiritualiter.

Cum natus esset Jesus in Bethleem Juda. Matth. 2. 1. *Juda Confessio, Bethleem domus panis.* Confessio, & Eucharistia his nominibus adumbrantur: quæ qui coluerit, securus est, quod suo in corde puer Virginis oriatur. Oliva t. 2. Strom. hic.

Et peperit filium masculinum. Apoc. 12. 5. In uno quolibet spiritualiter nascitur Christus: Ecclesia autem parturit, faciensque involvit; donec Christus natus in nobis formetur: atque ita unusquisque Christi participatione Christus quodammodo efficiatur. S. Andreas Cæsar. l. 11. in Apoc.

An nescis, quia ex semine verbi Dei, quod seminatur, Christus nascitur in corde Auditorum: hoc enim dicit Apostolus, *donec formetur Christus in vobis.* Gal. 4. 19. S. Cyrill. Alex. l. 12. in Levit.

Vos Ecclesiæ Pastores, vos Episcopi, & Sacerdotes; audite, & intelligite: vobis Angelus loquitur, vobis hoc gaudium magnum evangelizat. Nuntiate ergo, quod audistis; predicatæ, quod vidistis; nolite celare, quod cognovistis. Toties enim Christus in stabulo oritur, toties ut parvulus in præsepi ponitur; quoties Virginis partum, & Christi Nativitatem, aliis nuntiatis. Euseb. Emis. in nocte Natalis D.

Utinam inveniamur & nos Bethleem Judæ, ut in nobis quoque dignetur nasci - nam domus panis, quod Bethleem sonat, ad præparationem fortasse videtur magnopere pertinere: quomodo enim ille paratus est, ut excipere tantum hospitem possit, qui dicit: quia non est in domo mea panis &c. S. Bernardus l. 6. in Vig. Nat. D.

In te est, utrum sis pater, an mater; an potius utrumque, pater, & mater. Potes Deum

gignere in corde tuo, & in corde alieno; & potes eum excipere à corde tuo, & ab ore alieno. Intellectu gignitur, consensu concipitur, affectu nascitur, effecta nutritur. Nostri voluntatem Dei; consensu ei: & concepisti. Amando parturias, operando nutrias. Richardus à S. Viçt. Annot. in Pf. 25.

Christus concipitur per affectum, nascitur per effectum, nutritur per profectum. Innocentius P. III. l. 3.

Dei Filius spiritualiter nascitur in mente; cum, post sanum consilium, post discussum sufficienter negotium, post invocatum divinum patrocinium; sanctum propositum, perducitur ad effectum: cum jam anima incipit agere, opere perficere; quod diu pertractavit in mente. S. Bonavent. 2. solenn. de Nat. pueri Jesu.

Miscellanea.

Ego quasi Agnus mansuetus. Jer. 17. 19. Clem. Alex. l. 1. Pædag. c. 5. Quoniam Scriptura pueros, & infantes, agnos vocat; Deum, qui est verbum, qui propter nos homo factus est, qui nobis in omnibus assimilari volebat; vocavit agnum Dei, Filium Dei, Infantem Patris. Cornelius hic.

Puer autem crescebat. Luc. 2. 40. Bene puer dicitur Christus: sicut enim puer cum matre, cum pueris, cum floribus, cum brachiis, libenter esse solet: sic puer Jesus delectatur in matris Ecclesiæ felicitate, in puerorum per innocentiam societate, in florum virtutum venustate, in brachiorum operum charitate. S. Bonavent. l. 4. D. infra Nat.

Non consolatur infantia Christi garrulos, non consolantur Christi lacrymæ cachinnantes, non consolantur panni ejus ambulantes in stolis; non consolantur præsepe, & stabulum, amantes primas cathedras in Synagogis. S. Bernardus l. 5. in Nat. D.

Quam felix, quam amabilis Nativitas tua puer Jesu; quæ Nativitatem omnium emendat, conditionem reformat, præjudicium solvit, chirographum demoratæ naturæ refeindit. Guarricus l. 3. de Nat. D.